

ST. DR

221548

III

Stephanowic Ant. / fidei gen Coem ad S. Bernardinum
a Solam bonorum / et fratrum solium bewe



ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI

P. ANTONIO STEPHANOWICZ

ORDINIS MINORVM OBSERV: S. FRANCISCI

PRÆDICATORI CLARISSIMO,

ECCLESIAE CATHEDRALIS CRACOVIENSIS ORDINARIO,

Prouinciae Polonie Primario Patri, Exministro,
& Custodi Custodum actuali

TOTIVS ORDINIS S. FRANCISCI
OBSERVANTIVM ET REFORMATORVM

DIFFINITORI GENERALI

PATRI OBSERVANDISSIMO, PATRONO SIN-
GVLARISSIMO, MAGENATI COLENDISSIMO

Studium Generale Conuentus Cracouiensis ad S. Bernardinum, filialis
obseruantia ergo omnigenam felicitatem precatur.

221548

Arisit tandem diuturnis suspirijs nostris blanda votorum
fautrix Fortuna; ADMODVM REVERERDE
PATER & Patrone noster colendiſſime; dum Te post
longas viarum varietates, auctum dignitate, integrum sa-
nitate, à Sacra Vrbe Orbi nostro reducem, gratiolē restituit.
Hactenus etenim contabescabant sollicita de Te filiorum Tuorum pectora; Ha-
ctenus inualeſcebant continua pro Te orantium clientum suspiria; Hactenus
ingemijcebat sine Te omnium nostrum tediuma mens; Te ad omne summum na-
tum, bono publico dedicatum, nuper pro communi commodo, tot ac tanta pro-
lixī itineris incommoda sustinere, recolens; Se vero, Prouinciam juam, vnaq;
Sarmaticum Orbem, orbatum Tuā praesentiā, deplorans. Verum enim vero,

quò



quò magis tunc anxi cordis arcana de Tuā abertia fuere angustiata, eò amplius nunc viscera penetratium nostrorum de Tuā præsentia sunt recreata. Venit namq[ue] illa viua imo viuida hora, quæ diro mæmore pressis mentibus, rediuiuam protulit lætitiae congeriem; Illuxit numero Alme Matris Prouincie cœtui, amanissimus Tui redditus dies; Resulst splendidus amplissimi decoris sol; Resplenduit nitida celissimi honoris Tui lux; Lux illustris & veneranda nimis, quæ ferales prolixii horroris abigens tenebras, noua cordium colludia, noua animorum oblectamenta spargit, celebres de Tuo desideratissimo aduentu congerens triumphos. Nunc igitur, generosa Tua proles. DIGNISSIME PATER, pascitur illo affectu, quo Tuum redditum appetebat; Recicitur illis votis, quibus Tuum complexum ambiebat; Saginatur illis suspirijs, quibus amplissimum Tibi honorem precabatur. Ast intra multiplicem appreciationum seriem, unica subrepit obscuritatis latebra, incertis, Tuosne Tibi honores, an Te honoribus gratulari debeamus? Nam si amplissimo nomini Tuo supremos honorum fasces gratulari velimus; Evidem luce clarius meridianâ constat, Te sæpe reluctantem, jaepius inuitum, omnes & singulos dignitatis religiose gradus, usq[ue] ad summum PROVINCIALATVS solium, transegitte; Constat, Te integrum vitæ decursum, non tam viribus quam virtutibus, non tam languoribus quam laboribus, non tam horis quam honoribus, translegisse. Satius ergo Te honoribus gratulandum censemus. Cernit namq[ue] impidissimus Orbis uniuersi oculus, duo hæc, Virtutem nimirum & Doctrinam, conpenitus ceterarum dotum comitata cencurijs, pro Te à primis infantia annis decertare; Cernit Te, non ut præsis sed ut proses, clauum regiminis acceptare, & amplissimos dignitatis religiose gradus, non tam honori quam oneri (raro exemplo) imputare; Cernit Te unicum, probos THEMISTOCLES probitate, subtilles SOCRATES subtilitate, dextros SCIPIONES dexteritate, graues FRONTONES gravitate, fidos FABRICIOS fidelitate, generosos VLYSSES generositate, magnanimos CATONES magnanimitate, superare; Cernit Seraphica propago, Te pauperissimos FRANCISCOS paupertate, plentiissimos ANTONIOS pietate, feruentissimos BONAVENTVRAS charitate, suauissimos LUDOVICOS suauitate, benignissimos BERNARDINOS benignitate, humillimos DIDACOS humilitate, rigidissimos CAPISTRANOS rigiditate, auſterissimos LIPNICIOS vite austerritate, deniq[ue] clarissima illa Scientiarum Sydera, ALENSES, SCOTOS, MAYRONIOS, mira ingenij claritate, exæquare; Cernit insuper, supremum eruditæ sapientiae pariter ac prudentiae decus, in Te sibi perennem querere locum, domicilium inuenire. Hinc est, quod Mater Orbis ROMA, nuper in Te dignitate dignitatem auctam expendens, voluit præcessum nomen Tuum ampliori cumulare celsitudine, dum concordi diligentium suffulta calculo, Tuo arbitrio, sententiam diffinitiuam in omnibus & singulis totius

totius Ordinis nostri negotijs ferendam consignauit, Te DIFFINITO.
REM GENERALEM Obseruantiam & Reformatorum Sancti
Francisci, creauit, quatenus præclaris Tuorum operum facinoribus, non ex
solo duntaxat premio beatitudinis æternæ merces constaret, sed haberet præ-
terea in vita labili nobile theatrum virtus emerita, in quo undique probata
spectataq; ceteris vel ad plausum sufficeret vel ad calcar. Ad aras igit
iur tanti nominis Tui lubens procumbit nostra Scholastica Palastra AD
MODVM REVERENDE PATER, modicam hanc ex-
bilarate mentis canenam Tuo occinens in conspectu. Offerant enim alij augustissi-
mi AVGVSTI trophyæ; Offerant opulentissimi Cræsi cumulos, Nos tenuem præ-
liantis Minerue pauperiem Tuo opponere lumini non pigebit, quem Arte &
Ingenio pollere, ore unico uniuersus deprehendat Orbis. Ergo doctâ fron-
te lustrare digneris ALME PATER hanc incultam gracilis cala-
mi opellam, & qui æternitatis pretium, severam faciem esse nosti, digneris
hanc exiguum Musarum tessera, eximij nostri affectus in Te Tuumq; Sa-
crum nomen testaticem, manu clementi attrahere, sinu Paterno recludere,
ut sic præcello nominis Tui splendore decorata, exactius Tua in æcum
militet glorie, seruat dignitati.



Admo-

Admodum Reuerendus Pater Antonius Stephanowicz, Ordinis Minorum Obseruantium, Prædicator Clarissimus, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Ordinarius, Prouinciæ Poloniæ Primarius Pater, Exminister, & Custos Custodum, Totius Ordinis Sancti Francisci Obseruantium & Reformatorum Diffinitor Generalis.

A N A G R A M M A
Salutē inclytum Sydus Orbis Seraphici, dulcis Olor facundi oris, perfectionis speculum, Study Promotor, Norma Arsvè prudentiæ, Naturæ cor Paternæ, mansuetudinis idea, Fons virtutis, Scientiæ decor. Te insignem meritis vrbs sacra, apex Fidei & zenith Roma, ador. nat; vt meritò sis Crucis amor, Corona, Cynosura Minorum.

A

urea cælorum nunquam fulgentius Orbi
D etulit, occiduis Pelagi luctata sub vndis,
M irifico splendore iubar, Tytania lampas;
O ceano mersos, liquidâ de sede iugales,
D elius, Eojs primò cùm visus in oris
V indicat vmbriteræ cæcâ caligine noctis,
M ille ferens animis solatia, mille canoris
R oscida mella auibus, pratis floralia mille,
E t Musis hilares, & gratas mentibus horas,
V eliuolis placidum ratibus post nubila pontum;
E t quodeunq; decu, latè fugientibus vmbri,
R estituit mundo, species suauissima lucis
E xpectata diu; quám cùm se lumine vasto
N unc in Hyperboreis felicius explicat oris
D udum cara dies & votis mille vocata
V nica, sed multis pretiosior illa diebus
S olaq; digna Cedris, & obrizo digna metallo
P erpetuoq; dies Cytharæ dignissima plausu
A duentu veneranda Tuo, dilectaq; multum
T ot Tibi deuinctis, Lechicæq; clientibus oræ
E micat illa suis, & latè fulgurat Orbi
R esplendens Patrio radijs; dum solis ad instar
A ltius inuectum, nitidis Te gloria pennis
N uper honorata, meriti sublimat in auge,
T antaq; fert Tecum decora, atq; insignia tanta
O rdinis, & tantos Lechiæ plaudentis honores.
N empe quibus Phæbo similis micat vndiq; splendor
I n Patriam Sacrosq; Lares cætusq; Minorum;
V t nobis Te Roma Patrem sublimius auctum
S armatico super Orbe dedit, clarissima cæli
S ydera luce sequi, numeros plausumq; mereri.
T alis enim virtutis honos, tantumq; decebat
E meritæ pietatis opus, quòd clarius in Te
P hæbeo splendore nitet, fulsitq; per Orbem
H esperium, Turresq; Sacras, & mænia Romæ
A ttenuit; geminis vicibus, dum publica tractas
N on sine curarum serie, molimina, sacri
O rdinis ex voto, Patriæq; negotia terræ.

Viderat

V iderat hoc in Te, iam tum iuuenilibus annis
I udicij præclara Patrum sententia magni,
C ordaq; virtutis iam tum præsaga futuræ
Z elabant pro Te, felicibus vndiq; votis,
O mne Tibi pectus quoties dulcedine mirâ
R eligiosus amor vincebat, & intima cordis
D onabat reclusa Tibi, quod summa licet si
I ngenij Tibi dona forent, visq; optima mentis
N aturæ subnixa bonis, tantusq; laborum
I n Sacris feruor studijs; licet intus aperto
S ole coruscaret, plena Sapientia lucis,
M ente verecundâ tamen omnia summa laterent,
I n pretio conclusa suo; vulgareq; passim
N elcirent humiles seniis, animiq; profundum.
O rta sed illa dies, quâ Tu dulcedine fandi
R ostra super Cathedrasq; Craci conspectior ire
V isus es; & quantum sapienti pectore lumen
M anserat interius, radianti prodere verbo
O bseruatus eras. Nunquam spectacula tanta
B ellonæ castris, grandævus Nestor in ore
S uadelæ dulcore tulit; Cyneasq; superbo
E xpugnata dedit nunquam tot mænia Pyrrho,
R obore facundæ post tot certamina linguaæ
V it Tibi de Sacris posuit Tua suada trophæis
A ugusti monumenta operis, Cathedraq; triumphos,
N ectaris Ambrosiazq; potens; quâ iugiter omnem
T orrentis rapit illa modo, voluitq; Coronam
I n summo cætu populi numeroq; virorum
V iscera nunc penetrans verbi mucrone tremendi,
M ox animos recreans, fomentaq; dulcia miscens.
P rincipe sic dignum Cathedrâ, quo Regia surgit
R egum Sarmatiæ Maiestas; Te sibi votum
Æ stimat omne sacri præclaraq; gloria cætus
D elegitq; virum, facundo cuius ab ore,
I nter tot saeræ præstantia nomina suadæ
C ertatim pendebat; apex dum forte Vauelli
A ntè Tiaratæ fastigia summa Cathedræ
T e per continuos quo sæpius audijt annos
O ptabat tanto Cygnum dulcore perennem

Roran-

R orantes geminare fauos, & voce disertâ
C orda animosq; D E O lucrari. Qualiter olim
L audibus immensis F R A N C I S C I claruit Ordo
A tq; tot eloquijs miracula protulit Orbi
R em Diuinam augens; seu cùm Patauina stupendo
J nsonuit tellus; A N T O N I fulmine magni;
S eu B O N A V E N T U R A Lugduni purpura quâdo
S olis ab extremis collectum partibus Orbem
J mperij summumq; decus fascesq; Pelasgi
M aiestate suâ, celebri suadâq; teneret;
V el cùm Chrysologos, totq; inclyta nomina fandi,
S ummus in Orbe locus supremaq; rostra stuperent,
E x hac progenie Sacrâ cætuq; Minorum.
C ontinuat quales etiam nunc nominis alti
C onumeratq; viros inter subsellia celsa
L uida Seraphici soboles Patris, omnia latè
E uropæq; Asiaq; loca, Americesq; remotas
S ollicitis implens curarum partibus oras
J nq; salutari conuincens nomine J E S V
Æ terno verbi corda inter barbara fructu.
C olligit hanc in Te vastus Septemtrio laudem.
A ccessu quoconq; patet meritoq; triumphat,
T u palmas Lechicis dum forte trionibus infers
H erculeis Suadæ Patriamq; laboribus ornas,
E xternis nunquam sapientum laudibus, atq;
D octrinæ studio cedis, virtute togatâ,
R espondere pari genio suadâq; paratus.
A t non sola Tibi dicendi summa facultas
L umen in Orbe dedit, nomen fecitq; coruscum,
J nnumeræ dotes aliae, laudumq; coronæ
S acra Tibi docti capitis fastigia cingunt,
C onciliantq; decus, quo per Te clarior extat
R eligionis honos, & vitæ norma probatæ,
A e velut innatæ studium pietatis amorq;
C ura Tibi quandò præ cunctis maxima votis,
O mniò exacti cultum retinere decoris;
V tq; suis constet reuerentia legibus, vtq;
J mmotâ currant serie, quæ priscus ad vnguem
E xpressit tenuitq; rigor, quo Spiritus ipse
N utritur, viuitq; Sacer Sacri Ordinis Ordo;

C

Sic

S ic exempla alijs & vitæ dogmata præbens,
J pse Tuâ virtute præsis, lucemq; ministras,
S uauius inuitans alios, dum clarius in Te
O stendis virtutis iter callemq; salutis.
R egnat amor studij proin in Te tantus & ardor,
D ulcior ut cordiq; Tuo nil gratius vñquam
J nuenias, doctæ quam cùm certamina Stoæ
N obilibus florent animis, passimq; teruntur.
A lternis studij conatibus indè Patronum
R epperimus nobis, quibus est Theologica Pallas,
I ngenijq; decus cordi; feruentior indè
V iuit in erectis doctrinæ mentibus ardor,
S ub tanto quem docta colunt monumenta Patrono.
P ar quoq; post clades, Martis post bella cruenta
R oxolanas, Suecasq; acies, Hunnosq; Scythaſq;;
O ccasum Patriæ propè; post incendia postq;
V itima fatorum, Regni cineresq; Poloni,
I n Te fulsit amor, Conuentus quandò sepulti
N olueras altis inuolui busta ruinis,
C ommunisq; mali spectacula longa referre
I lluc; sed Cracijs postquam vis Suetica portis
Æ stu-bellorum variò viætriceq; dextrâ
P rincipis expulsa est C A S I M I R I; totus in uno
O mnia consilij voluis molimina sensu;
L ugubri squallore iacens, ut surgat in altum
O lím Stradomiz sedes primæua Minorum;
N ec differre placet curas animiq; labores,
I ntanti successu operis. Mox nescia vinci
Æ thereis suffulta bonis mens, ardua tentans,
P romouet auspicijs Sacram melioribus Ædem,
R estauratq; locum dilectis Fratribus, in quo
J nnocuæ vita Lechicis fons primus in oris
M anauit, steterantq; pedes, inuictaq; Magni
A rma C A P I S T R A N I, trucibus metuenda Gelonis,
R araq; L I P N I C I æ post hæc miracula dextræ
I mmortale decus, Terra columenq; Polonæ.
V indice Te sic cæpta stetit pulcherrima moles,
S ublimem testata animum; sinè pondere niti
P offet Sarmaticæ cui tota Prouincia gentis,

Atq;

A t^q; hoc cognouisse datum est , communibus in Te,
T um quando studijs, regimen conferre supremum,
E t summas placuit curas ; Tu^q; vndiq; Præses,
R ebus par inuentus eras succedere summis,
E t tantis faciles humeros supponere curis.
X erxei quamuis numeri portenta tulissent
M uneris alta Tui fastigia ; par Tibi virtus,
I udicijq; vigor magnæq; industria mentis,
N on uno deducta gradu, ast exercita multis.
I ndè quod in Patrijs poteras felicitè oris,
S pectata virtute animi, donoq; regendi,
T anto cum fructu tantâ cum laude, fideq;,
E ximiò præstare bono, meritoq; perenni,
R omanas etiam decuit spectare curules,
E t quidquid tantâ summum veneramur in Vrbe,
T errarum, cui primus honos & summa potestas,
C ælorumq; patent mysteria ; tantus in orbe
V t locus exceptit venientem ; protinus in Te
S ingula præclaræ capiens insignia mentis,
T otq; animi dotes prudenti pectore clausas,
O fficio tanto dignas & munere tanto
S olenni laudum titulo votoq; probauit,
C lareat vt Lechico tanto conspectior Orbi
V irtus tūm pietas, & quæ Te summa coronat
S æpius in magnis retinens Prudentia rebus
T antaq; solliciti pro cunctis summa laboris,
O mnibus èxemplo tandem stimuloq; futura ;
D um tantus Te cingit honos, quo clarus ab almâ
V rbe redis ; plaususq; nouos & vota mereris,
M illeq; pro tantis renouas solatia curis.
T e proin Ausonio reducem cum cernimus axe
O ptato fruimurq; bono ; iuuat intima cordis
T estari, plenoq; sinu depromere, quidquid
I n sua collectum formauit gaudia pectus.
V enit enim Tecum nostræ lux aurea mentis ;
S ollicitosq; diu pleno splendore serenat,
O mina grata ferens. Hinc brachia pandimus omnes;
R eligiosa Tibi, lætiq; occurrimus omnes,
D ulce decus nostrum, venerabile nomen amantis.
I n Te suscipimusq; Patris, vultumq; benigni

Non

N on sine lætitiæ millenâ voce Patroni
I ntuitu suaui nunc contemplamur; & vtrò
S ubicimus iussis promptissima corda Paternis.
S ed quibus in studio potior Tua gratia fulsit,
A d Tua præcipuo spectamus Nomina cultu;
N eque decent paruos ingrata silentia Vates
C onspectu seruare Tuo, cùm viscera toto
T e poscant animi consensu Teq; loquantur,
I rrequia*ta* Tuis vt surgat laudibus indè
F ormeturq; Chelis; nam quidquid possumus isto,
R eddimus obsequio, longè maiora parati
A d cultum proferre Tuum. Sed sufficit ex hoc
N ominis arcano, quidquid sublimius in Te
C ollectum latuit, studij testudine sacrâ,
I ntè festiuos latè producere plausus.
S ALVE igitur toto quod pectore voceq; totâ
C ommuni loquimurq; animo, Cedroq; notamus,
I N C L Y T U M & eximio spectadū lumine S Y D V S
O RBIS SERAPHICI; Tyrio fulgentior ostro
B osphore, iam Patrio feliciter orte Trioni.
S ymbola lucis habe; Cathedrarum gloria Tecum,
E xurgat, suadetq; decus, dulcedoq; fandi,
R esponsis veneranda sacris, penetransq; medullas,
V iuat in eloquij cultu, rursusq; triumphet.
A nnon D V L C I S O L O R F A C V N D I diceris ORIS?
N ectare dulcisluo tot iam spectatus ab annis,
T amq; potens verbo tam felix vberem sensu.
I n quo P E R F E C T A S P E C V L V M nitet vndiq; vitæ,
V nice Theologi S T V D I I P R O M O T O R Atlasq;
M agnanimi cordis, quo nos sudare libentè,
E t doctis totos facis impallescere chartis.
T u iusti rectiq; tenax; Tu plenus in omni
R erum fortunâ, varijs licet illa feratur
E xcurratq; modis, luctus & gaudia miscens,
F elici suasu, solidâ virtute fideq;
O ptima sis NORMA ARSVE proin P R V D E N T I A & omis
R egula consilij; nam quantum dulce Parentis
M elliflumq; Tibi nomen, Personaq; dulcis
A ntè alios magno pietatis seruiat vsu

TOT

T ot linguis loquitur propensio summa clientum
O bstrictæ Fratrumq; animæ; quas corde benigno
R espiciens, nunc lenè fœnes, nunc robore firmas;
V t sis NATVRÆ COR & dulcedo P A TERNÆ,
M asculâ conseruâns perfecti iurâ vigoris;
D ulcius illâ tamen monitis immixta Paternis;
I ndè fit, vt facili conuincas pectora verbo,
F lexanimæ suadeq; modis, exempla regendi
F ormâs ex Te alijs, vt MANSVETUDINIS almæ
I n Te vera suis JDEA coloribus extet;
N imirum plenus FONS es VIRTUTIS; & omnis
I ntégritas animi, probitas, constantia, candor,
Te circumstantes nexu vernante coronant;
O mnigenæ longo pariterq; SCIENCIÆ ab usu
R ecte cōpositam mentem DECOR inclytus ambit.
G audeat his ergo sapientia summaq; virtus,
E xornata bonis; quod Te Vir summe virorum
N ouerit, INSIGNEM MERITIS VRBS SACRA coruscus
E nsis, APEX FIDEI ET ZENITH; tunc quādo decoro
R oma caput splendore Tuum sublimis ADORNAT.
A t nos perpetuo concludimus omnia voto
L ætitiaz plausu cupientes, VT MERITO SIS
I pse CRVCIS CHRISTI radians AMOR, atq; CORONA
S eraphico fulgensq; Polo CYNOSVRA MINORVM.



